

05

A

1941





D. J.
De
63
TORTURA.

Quam
Auxiliante Deo Maximo,
Consentiente Magnifico & Amplissimo Ictorum
Ordine,
PRÆSIDE

Viro Magnifico Amplissimo atq; Consultissimo,
Dn. AUGUSTINO STRAUCHIO Icto.
& P. P. Supremi Appellationum Judicii Consi-
liario, Curia Electoralis, Consistorii Ecclesiastici, Sca-
binatus, & Facultatis Juridicæ Assessore
Gravissimo,

Dn. Patrono, Præceptore Affine ac Hospite suo plu-
rimùm observando, & ætatèm colendo,
Publicè discutiendam proponit,
In Auditorio Jurisconsultorum,

CHRISTIANUS FRIDERICUS WILDECK,
Dresd. Misn.
Ad d. XIII. Septembris

WITTEBERGÆ
Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.
ANNO MDC LII.

V

Dn. JOHAN: GEORGIO Dypeln/
Hæreditario in Lomniz/ Gosda/ Oberlichtenau &
Lamperswalda/ ICto celeberrimo, Com. Palat. Cæs. & Se-
reniff. Elect. Saxon. Consiliario Intimo gra-
vissimo.

Nec Non

Magnifico, Nobili atq; Consultissimo

V I R O

Dn. JOHANNI HEIGIO, Hære-
ditario in Hennerßdorff/ U. J. D. excellentissimo, &
Serenifs. Elect. Saxon. Appellat. Consiliario dignif-
simo,

Ut &

Nobili, Amplissimo, & Praclarissimo

V I R O,

Dn. CHRISTIANO Reichbrodten/
Hæreditario in Klingenberg & Pesterwitz/ Serenifs.
Elect. Saxon. Consiliario & Secretario Intimo.

Ac Juxtà

Amplissimo, Praclarissimo, Spectatissimoq;

V I R O,

Dn. CASPARO Klengel/ Sereniff.
Elect. Saxon. Rationum Provincialium Præfecto.

*Dominis, Mæcenatibus, & Patronis suis Maximis,
& submissè venerandis,*

DD. & O.

Christianus Fridericus VVildeck
Autor & Respondens.



05 A 1941



I. N. J.



Stat nobis de Tortura quædam
exponere. Cùm autem omnis Doctrina & di-
sciplina, suadente BALDO, *in l. 5. C. de Oper. li-
bert.* à vocabulorum cognitione incipere de-
beat: & turpe sit, secundùm ANGELUM, *consil.*
119, priùs determinare, quàm terminos intel-
ligere, Operæ pretium erit, quæ ad hujus vocabuli perceptio-
nem facere videntur, pauçula antè præfari, quàm ad rem i-
psam deveniatur.

I.

Primùm verò omnium de Etymologiâ, sive Notatione
(uti CICERO in Topicis vocat, quia scilicet notam facit rem, de
qua prædicatur) hujus vocis agendum est. Multùm enim jurì
operam navanti prodest, vim atq; ingenium vocabulorum co-
gnoscere; quemadmodùm hoc abundè declarat NICOL. EVERH.
à MIDDELBURG, 4. *locorum legalium*. (quos WESENBECIUS no-
ster Juris studiosis familiares esse cupit, *in not. ad §. 1. Inst. Quib.
ex caus. manum.*) & alii Jurisconsulti maximi. Sed labor sub-
eundus est. Tortura à Torqueo descendit: à tortum enim tor-
tura, sicut à natum natura, à jactum jactura derivatur. Quod
vel pueris, satis cognitum est. At Torqueo *παρά τῃ πρῆξι*, à
non-recto, inflexo, curvo, ortum ducere, docent ii, qui dili-
gentius verborum fontes scrutari solent.

II.

Et de Nominis originatione huc usq; Sequitur jam ipsa
etiam illius significatio, quæ etsi multiplex inveniatur passim,
pro nostri tamen instituti ratione, ea potissimùm observanda
est, qualis in Juris Civilis libris deprehenditur. Sciendum igitur
est, quod Jctis Tortura propriè actus torquendi & cruciandi,

sive pars *ux* tē §. 41. l. 15. D. de
Injur. Deinde, minus tamen a *summa*, pro quaestione, quæ in-
terrogationem & dolorem contineat, accipitur. Hoc quoq;
modo in nostra disputatione istud vocabulum usurpabimus.

III.

Accedit jam Synonymia. Tortura varias, in Pandecta-
rum atque Codicis voluminibus, appellationes fortitur. Ple-
rumq; enim Quæstio, sæpius Tormentum, nonnunquam Inter-
rogatio nominatur. Præterea corporis Dolor vocatur, in l. 15.
§. 41. D. de *Injur.* & mala Mansio, d. l. Strictior itidem Inquisi-
tio, l. 3. C. ad Leg. Jul. Maj. Severa Indagatio, l. 10. C. de *Digni-
tat.* & quæ sunt ejusmodi, de quibus non admodum solliciti e-
rimus. A Germanis, *Peinliche oder Scharffe Frage / Marter /
Pein / Folter / Qual*

IV.

Hæc de Nomine. Nunc Res ipsa pertractanda est, cujus
primò Definitio tradi debet. Etsi verò non conveniat inter Do-
ctores, quomodo rectè atq; concinnè Tortura definiri possit,
& tot ferè sententiæ reperiantur quot capita; à plurimis tamen
definitur vel describitur Inquisitio, quæ fit ad eruendam veri-
tatem per tormenta & corporis dolorem. Quæ Definitio ex
lege 15. §. 41. D. de *Question.* planè desumpta videtur, eoq; ma-
gis probanda est. Nam Definitiones, quæ in Juris libris haben-
tur, plerumq; recipiuntur atque tolerantur, quamvis juxtà Phi-
losophorum præcepta non sint confectæ semper. Juris enim
conditores, modò de rebus constet, verborum nimium non fa-
ciunt dilectum.

V.

Definitionem excipit Divisio, quæ multiplex variaq; re-
reperitur. Dispescitur siquidem Tortura à quibusdam in le-
vem & gravem: ab aliis in levissimam & gravissimam. Hi plu-
res, illi pauciores Divisiones proferunt. Notetur tamen, Ter-
rificationem propriè Torturæ partem non haberi. Hæc etenim,
in cruciatu corporis atq; dolore consistit, ut patet ex l. 15. §. 41.
D. de *Quest.* Illa nil præter comminationes & metum infert. Et
licet multi diversum tradant, plurimorum nihilominus senten-
tiis,

tiis, hac in re, assensus præberi debe-
iam istud velle videantur.

leges et-

VI.

Torquendi mos antiquissimus est, & omnium ferè genti-
um consensu receptus. Nimrodum sanè tormenta invenisse
conjiciunt, qui rerum natales diligentius investigant. Exinde
frequentius per cruciatus veritatem exquirebant. Denique
usu ritus hic probè firmatus fuit. Apud Græcos, apud Roma-
nos, quæstionibus quid vulgarius invenitur? Judæos quidem
tormentis homines supposuisse non legitur. Hoc quoq; ævo,
Arragonenses atque Britanni, omnem Torturæ modum planè
rejiciunt. Nihilo tamen secius, in plurimis locis & regionibus,
licitum utileq; judicatur, malefici, quò verum cognoscatur,
tormentis si afficiantur. Nec moveat quenquam, Constitu-
tionibus Imperatorum quod declaretur, Quæstionem rem esse
fragilem & periculosam, & quæ veritatem fallat. *l. 1. §. 23. D. de
Quæstion.* Illud etenim ita intelligendum est, quando nempe
secundum legum præscripta non proceditur. Cæterum lau-
dabile institutum & Reipublicæ valdè necessarium æstimari
debet.

VII.

Cuinam torquendi potestas detur, dispiciamus nos oportet.
Merum habenti Imperium haud immeritò tribuitur. Nam
quæstio est causæ criminalis accessio, *l. 8. D. de Quæst.* Crimi-
nalis autem causa ab illo dijudicatur, qui merum tenet Impe-
rium. *l. 3. D. de Jurisdic.* Facile itaque concludere quis potest,
est, tormentis reos interrogare iis solum licere, quibus Crimi-
nalis Jurisdictio concessa sit. *Die Ober oder Hals Gericht / Fraiß /
Zent.* Non igitur distinctio inter causam civilem & crimina-
lem admittitur, quod in hâc quæstio mero Imperio, in illa sim-
plici abscribenda sit jurisdictioni. Nulla quandoquidem lege
fundata est; Quamvis à Bartolo ejusq; asseclis acriter pro ea
decernatur. Quorum objecta penitus infirmavit atque diluit,
HENRICUS BOCERUS insignis Jurisconsultus *cap. 1. num. 13. de
Quæstionib.*

A 3

VIII.

VIII.

Quaestio sive Tortura in criminibus eruendis adhiberi solet, *l. 1. init. D. de Quaestion.* & quidem capitalibus & atrocioribus, *l. 8. dict. tit.* Capitalia autem sunt ex quibus poena vel mors est, vel etiam civitatis amissio, vel servitus *l. 2. pr. D. de Pen.* aut quemadmodum in *pr. l. 28. d. t.* Summum supplicium imponi debet, vel proxima morti poena metalli coërcitio, vel in insulam deportatio, decreta est. Hanc etiam expositionem firmat. *l. 2. D. de Publ. Judic.* ORD. CRIM. CAROL. V. *art 8. So die Missethat einer Todesstraff.* Atrociora sub capitalibus comprehenduntur. Quæ verò ista sint malefica, in quibus hæ poenæ locum inveniant, ex Pandectarum & Codicis voluminibus haut gravè percipi potest. Hodie præterea in furto, quod apud nos Germanos suspendio luitur, tortura infertur. In iis etiam delictis quibus fustigatio constituta, hodie tormentorum frequens usus est. Ita, ut, quando corporis poena afflictiva irrogari debet, reus torqueatur. Licet poena, aliis advenientibus interdum causis, in pecuniariam mutetur. Hoc tradunt Juris Interpretes: hoc in judiciis obtinet. Hactenus dicta de Criminibus quoque Extraordinariis intelligantur. Cum enim ea non distinguantur à publicis judiciis, quod in *ll. 1. & 8.* factum esse videmus, cur nos distinguere vellemus nulla urget ratio.

IX.

In levibus verò delictis (quæ de plano apud Romanos audiebantur & discutiebantur, *l. 6. D. de Accusat.*) quæ vel nudam relegationem, vel carceres, vel numellas, (*Pranger / Halsseisen*) vel mulctam (*Geldbusse*) merentur, nemo quaestionibus subditur. Et si deterioris homines sortis leviter torquendos putent aliqui, quos refert atq; refellit. FARIN. *Lib. 1. Tit. 5. Quest. 42. Pr. Crim.* vel Territio & tormentalium instrumentorum applicatio, quandoq; locum sibi vindicant. Rationes torturæ denegandæ tres potissimum à Doctoribus redduntur. 1. quia ex modo probandi quis gravius puniretur, quam ex modo condemnandi. 2. quia quod prohibitum est una via directè, non debet per aliam viam permitti indirectè. 3. quia ordinata ad unum finem, debent regulari secundum naturam illius finis. FARIN. *modò allegato loco,* cujus verba quoque adscripsimus.

X. Mul-

X.

Multò minus in causa civili & pecuniaria interrogatio per tormenta fieri solet. Sive ex maleficio civiliter agatur; sive causa sit gravis & ardua; sive delictum annexum habeatur. Nunquam strictior suscipiatur inquisitio, sicut superfluè demonstrat BOCERUS, c. 2. de *Quest. n. 18. & 19.* Secus tamen est in servis, hi enim tam de suo facto, l. 12. & 15. C. de *Question.* quàm alieno, in pecuniariis causis interrogari possunt, l. 9. D. & l. 13. C. dicto tit. In causa verò Domini sui neque pro eo, neque contra eum torqueri possunt, l. 1. & 6. C. h. t. nec etiam offe-
rente domino l. 18. §. 7. D. & l. 7. C. h. t. Præterea hisce in causis de Arenariis quæstio habetur. l. 21. §. 2. D. de *Testib.* Non æque de statuliberis quæstio habenda est, nisi deficiente conditione, l. 9. §. ult. D. de *Quest.* Liberæ conditionis autem homines nequaquam tormentis subjungi fas est. Excipiuntur tamen [foro cedentes mercatores, (*Bancferretier*) qui dolosè rationes atq; chirographa supprimunt. Quod de Mercatoribus, idem de aliis hujus farinae decoctoribus, & fraudulentis debitoribus indicium esto. DN. CARPZ. p. 3. q. 119. Pr. *Crim.* Deinde improbiore Usurarii: pleriq; tamen adversum tuentur, ut FARIN. lib. 1. Tit. 5. *Quest. 42. Pr. Crim.* Tortura denique infligitur libero homini, civiliter quando agitur contra eum, qui de delicto habuit gratiam à Principe, vel transegit cum fisco & præside. Id. d. 6.

XI.

Tormentis interrogantur tam masculi quàm foemina, tam liberi quàm servi, tam sub parentum potestate constituti, quàm liberati. Modò personarum conditio patiat, l. 8. C. de *Quest.* Multi enim ab omni tormentorum genere immunes sunt: Quidam ob dignitatem, quidam ob defectum rationis, quidam ob debilitatem corporis. In has igitur tres classes, omnes memorato gaudentes privilegio, commodè distribui possunt. Ordine ergò, à primâ exordientes, quinam excipiantur, recensēbimus.

XII.

Dignitatis privilegio à strictiore inquisitione defenduntur,

ar, Illustres qui salutantur, cujusmodi erant circa Justiniani tempora, Præfectus Prætorio, Præfectus Urbi, Quæstor, Magister militum, Comes sacrarum largitionum. Spectabiles, ut Proconsul, Præfectus Augustalis, Comes Orientis. Clarissimi, nempe Præsides Provinciales, Consulares &c. Eminentissimi, Perfectissimi; quemadmodum annotavit BOCERUS *cap. 4. de Quæst.* Verùm mutatâ Romanorum veterum conditione, recentior ætas tres istis æquales dignitatum gradus produxit, Principes Illustrissimi, Comites Illustres, Barones Generosissimi qui appellantur. Cùm autem severa indagatio per tormenta quærendi ab illis olim submoveretur, quod multis legibus proditum est, imprimis, *l. 11. 18. C. de Quæstion l. 10. C. de Dignitat.* quis dubitaverit Principes, Comites, Barones, & his parem gerentes dignitatem, à tormentis liberos judicare. Idq; eò magis, cùm rariùs hujusmodi personæ hodiè carceribus includantur. *CARPZ, Pr. Crim. p. 3. q. 118.*

Deinde torqueri non possunt Equestris qui sunt dignitatis, secundum enim gradum post Clarissimatus ordinem obtinere jussit eos Imperator Valentinianus, *l. un. C. de Equestri Dignitat.* Perfectissimi verò, quorum dignitas postrema & infima est, quæstionibus non subjiciuntur; multo minùs Equites iis superiores longè. Nostros Nobiles eandem habere immunitatem non dubitamus. *Experientiâ id satis edocti.*

Doctores, Licentiati, & Advocati, itidem quæstionibus non sunt obnoxii, ob geminam scilicet rationem. Nobilibus enim æquiparantur; hinc Ulpianus Jurisconsultus nobilis vocatur, *l. 2. §. 9. & nobilissimus, l. 4. in fin. D. de Excusat.* Clarissimis quoq; meritò connumerandos rescripsit Imperator Anastasius, *l. 1. in fin. C. de Advoc. divers judic.* Illustres prætereà eos nominare haut erubuit Justinianus, in *proëmio Institut. §. 3. & 4. & Rubrica, de Juris docendi methodo, & passim.* Porro cum militibus conferuntur, velut luculentissimè juxtà atque verissimè declarant Leo & Anthemius, *l. 14. C. de Advocatis diversorum indicior.* & quicquid in foro acquirunt, veluti castrense peculium, ad exemplum militum sibimet vindicant, ut constituunt Honorius & Theodosius *l. 4. & Theodosius & Valen-*

Valentinianus, *l. 8. d. tit.* Non modò autem hoc privilegium concessum est Doctoribus jus profitentibus, & Advocatis certi ordinis vel collegii: verùm Doctoribus quietem sectantibus, ut & Advocatis ubivis causas agentibus, vel advocacy etiam qui deposuerunt officium. Imperitis quoq; Doctoribus & rabulis forensibus, ne ordini cui se adiungunt labes inferatur, hanc immunitatem attribuunt quàm plurimi. Et licet quæstio instituat, (quod fit interdum, quemadmodum inferius explicabitur) tamen indicia debent adesse urgentissima: FARIN. *Pr. Crr, m. lib. 1. tit. 5. q. 41.*

Milites similiter tormentis non subjunguntur, *l. 8. init. C. de Quæstion. l. 4. C. ad Leg. Jul. Majest. l. 3. §. 1. D. de Re Milit. Militia quidem dignitas vera non est, sed ei opponitur, l. 4. C. ad L. Jul. l. ult. C. de Jurisd. omn. judic. l. 13. C. de excus. muner.* Vulgò aliquid dignitatis tamen habere putatur. Milites prætereà à plebe sejungendos esse, *l. 8. C. de Quæstion.* statuitur. Nec solum in castris degentes hoc fruuntur beneficio, sed & Veterani, etiam qui non emeritis stipendiis suis videntur dimissi: exceptis his, qui scilicet ignominiosè sunt soluti. Quod & in filiis militum & veteranorum servabitur. *d. l. 8.* Hoc jure hodierni milites rectè utuntur, eadem enim adhuc obeunt pericula, iisdem ergò præmiis cum pristinis Romanis meritò donandi sunt. Nilque obest, antiquum milites conscribendi & eligendi modum abrogatum esse; Errones verò & palantes, sub nullo viventes signo Duceve certo, minimè hoc sibi vindicent. Digni enim odio sunt & gravi animadversione. Præcipuè in nostro Imperio. Torqueri & severò puniri debent, velut in diversis Comitibus decretum fuit. Anno 1521. Ordnung des Landfriedens. 1548. Râys. Landfried. & Reformation guter Policey. Von den Herrnlosen Knechten. 1597. Policey Ordnung gebesert. 7. titel.

Decuriones cruciatibus fideularum æquè non licet subdere, *l. ult. D. de Decurion. l. 11. §. 16. C. de Quæstion.* etsi munera decurionatus quis deposuerit, nam & ipse propter pristinam dignitatem quæstionem non patitur, *l. 17. C. de Quæstion.* Filii eorum atque nepotes pariter liberi sunt à torturâ, *l. 11. C. ead.*

B

Paren-

Parentes etiam Curionum, juxta nonnullorum placita. Moribus presentibus Senatores Oppidani predictis municipalibus similes existimantur. Hæc enim minores sustinent labores, proin æquales cum illis fructus percipiunt, atq; mercedes. FARIN. qu. 41.

Clerici primores, Presbyteri videlicet atque Diaconi, ejusmodi cruciamenta subire non coguntur: sed inferiores impunè istis afficiuntur. l. 8. C. de Episc. & Cler. Novell. 123. c. 2. Milites quidem Ecclesiæ dicuntur Clerici, c. 1. de Cleric. agrotant. attamen ideò armatorum militum jura sibi adscribere nequeunt. Castrensis enim vita & sacerdotalis, multum inter se distant, & diversæ sunt. Hæc inter libros precesq; illa inter arma & molestias transigitur: hæc secura, illa variis opposita periculis est, BOCERUS c. 4. de Question.

XIII.

Quandoque autem hi omnes hucusq; enumerati torqueri possunt, si nempe grande admissum sit crimen. Præcipuè verò Majestatis, in quo sola omnibus æqua conditio est, & nullus omninò militiæ vel generis aut dignitatis defensione rectè utitur, l. 3. & 4. C. ad L. Jul. Maj. l. 10. §. 1. D. de Qu. l. 16. C. eod. Deinde Hæreseos, l. 4. §. 4. C. de Her. Proditionis Patriæ, l. 3. §. 10. l. 7. D. de Re milit. Falsi, l. 21. C. ad L. Cornel. de fals. Maleficii Magici, l. 7. C. de Malef. & Mathem. Simonia, instar enim læsæ Majestatis habetur, l. 31. in fin. C. de Episcop. & Cleric. & quæ sunt ejusmodi multa à Doctoribus annotata delicta. Inconsulto tamen ac nesciente Principe, nemini in exceptis & predictis causis tormenta inferuntur, l. 4. C. ad L. Jul. Majest. Prius etiam quàm cruciatus subeant, præsidio dignitatis exui debent, l. 7. C. de malef. & Mathem. l. 7. D. de re milit. Hic verò mos hodiè non ubique viget. Cæterum nulla consuetudo introducere potest, ut honore præditi eximio, torturæ supponantur, nisi ex adductis rationibus causisq; fiat, latè sicut atq; exactè probat BOCER. c. 4. n. ult. 78. de Question.

XIV.

Ob intellectus imbecillitatem sive defectum, à tormentis liberi sunt Impuberes, l. 10. pr. D. de Question. Terreri enim tantum

tum solent, & habenâ vel ferulâ cædi, *l. 1. §. 3. D. de Senatus-
conf. Silan.* Si autem vicini admodum sint pûbertati, & ejus
ætatis ut rei intellectum capere possent: his parci non oportere
ex *l. 14. D. de Senatusc. Silan.* deducere vulgò conantur.

Furiosi itidem non torquentur, *l. 3. §. 11. D. de Senatusc. Sil.* sive
ante furorem, sive in furore crimé factum sit, *l. 14. D. de offic. Præ-
sid.* Hoc tamen privilegio minimè digni sunt Prodigii, quam-
vis furiosis plerumq; comparentur, *l. 1. D. de Curator. furios.*

Muti & surdi naturâ, & simul utroq; laborantes vitio. Si
verò casu aliquo hoc ipsis contigerit, & literas sciant, non exci-
piuntur. In mutis solùm hæc similiter obtinent, ut & in sur-
dis fortuitò factis, *BOCER. c. 4. de Quæstion.*

XV.

Ob corporis debilitatem excipiuntur, Senes decrepiti, qui
ætate defecti sunt, *l. 3. §. 7. D. de Senatusc. Sil.* & sine vitæ discri-
mine torturam pati nequeunt. Viribus enim, non annis, se-
nes hoc in negotio dimetimur. Quorum enim firmum adhuc
corpus est, veniam mereri neutiquam debent.

Gravi implicati morbo, *l. 7. de D. Quæstion.* vel mortiferè
vulnerati *art. 59. Preuss. he Halsgerichts Ordnung.* Terreri hos
posse ut & Senes, subjectis in conspectum tormentis, nequa-
quam ambigitur. *BOCER. c. 4. & ZANGER. c. 1. de Quæstion.*

Prægnantes *l. 3. D. de Pænis*, sive legitimè sive illegitimè
conceperint, sive noviter etiam gravidæ factæ fuerint, propter
spem scilicet prolis: nec terreri solent, ut abortus, qui facilè
inde sequitur, vitetur.

Puerperæ inter 40. dies post partum, hoc cùm tempus ad
reparandas vires datum sit. Sanæ quidem sunt puerperæ, *l. 14.
§. 2. D. de Ædilit. edict.* impares tamen sunt huic oneri sustinen-
do, & facilè inde morbum contrahere possent.

Lactantes puerum pari modo eximuntur, quando nato
nulla alia nutrix inveniri potest. *FARIN q. 42. n. 78. & seqq.*

XVI.

Res vel delicta jam exponenda sunt, quæ torturam sua-
deant. Ante omnia verò constare debet, crimen certò perpe-
tratum esse, prius enim non habetur quæstio, *l. 1. §. 24. D. de Se-*

nat. Silan. si scilicet certa supersint vestigia, ut Homicidii ca-
daver, Incendii exusta domus, secus si nulla appareant, ceu Ad-
ulterii, Sodomiae, in quibus conjecturae sufficiunt. Deinde a-
liae si deficient probationes, per testes, aut instrumenta idonea
faciendae, tunc demum tormenta adhibentur. *l. 9. D. & l. 12. C.*
de Question. modò adsint legitima indicia. A tormentis e-
nim non esse incipiendum Divus Augustus constituit. *l. 1. pr. D.*
de Question. Divus quoq; Hadrianus rescripsit; ad tormenta
ita demum veniri oportere, cum suspectus sit reus, & aliis argu-
mentis ita probationi admoveatur, ut sola confessio deesse vi-
deatur. *§. 7. d. l.* Et in ea causa, in qua nullis reus argumentis
urgetur, tormenta non facile adhibenda sunt. *l. 18. §. 2. eod.* Nec
confessio per tormenta, sine induciis suscepta, expressa quic-
quam nocet, *arg. l. 2. 3. 4. C. si ex fals. instrum.* Accedit insuper
ORDINATIO CAUSARUM CRIMINALIUM CAROLI V. IMPERATO-
RIS, qui haec *art. 20.* constituit. Wo nicht zuvor redliche An-
zeigung der Missethat / darnach man fragen wolt / vorhan-
den / und bewiesen würde / sol Niemand's gefraget werden /
und ob auch gleichwohl / aus der Marter und Missethat be-
kant würde / so sol doch der nicht geglaubt / noch iemand's da-
rauf verurtheilet werden.

XVII.

Indicium quid sit, variè à Doctoribus disceptatur. Pleri-
que eò tendunt, quod sit nota quaedam & demonstratio rei
gestae, demonstrans argumentum veritatis habendae. Nec cum
FARINACIO *q. 36 Pr. Crim.* hoc loco praesumptionem, conjectu-
ram, signum & suspicionem, pro diversis ab indicio speciebus
accipere licet. Indicium enim est idipsum unde oritur praes-
umptio, conjectura, suspicio, uti demonstrat BOCERUS *c. 3. n. 13.*
de Question. Hoc & in CAROLINA CRIMINALI CONSTITUTIO-
NE sancitum est, *art. 19.* Wo Wir hernachmahls redliche An-
zeigungen melden / da wollen Wir allwegen redliche Wahr-
zeichen / Argwohn / Verdacht und Vermuthung auch ge-
meinet haben. Multas praeterea divisiones Doctores tradunt,
alii

alii indicia in remota & propinqua, alii in dubitata & semiple-
na, atq; indubitata & plena distingvunt, sicut refert FARINAC. *d.*
q. 36. Commodius cum ZANGERO *c. 2. n. 13. de Question.* in Com-
munia & Propria distribuuntur. Istam distinctionem suppe-
ditare videtur CAROL. V. IN CONST. CRIM. *art. 25.* Von gemeinen
Argwohn und Anzeigungen/ so sich auf alle Missethat ziehen. &
art. 33. Von Anzeigungen so sich auf sonderliche Missethaten zie-
hen. Istum igitur ordinem meritò nos probare oportet.

XVIII.

Inter communia omnibus delictis indicia, primum obti-
net locum, Testimonium alicujus oculati, & omni exceptione
majoris testis. Et si enim unicus testis non probat, etiam si præ-
claræ curiæ honore fulgeat, *l. 9. §. 1. C. de testib.* facit tamen semi-
plenam probationem, jure Carolino imprimis, *art. 30.* Scien-
dum autem est, si testis viderit & interfuerit, delictum cum
committeretur, deinde si optimæ fidei & conditionis sit, quod
rectè ejus testimonium admittatur: Unum horum si absit, con-
trà judicetur.

Inventio rei in loco criminis editi, accusati propriæ. Ut
puta si forma pedis, impressa terræ, conveniat pedi accusati.
Exempli gratia, quando loripedis vestigia deprehenderentur,
& unicus tantum in civitate vivat istiusmodi pedibus, profectò
nemo ferè eum excusaret. Huic tamen conjecturæ nimitò
fidere judicem non debere voluit BOCERUS *c. 3. n. 77.* Nec omni-
nò adversatur. *art. 29. ORD. CRIM.*

Confessio extra judicium facta. Sed requiritur, ut reus
seriò certum delictum, cum omnibus circumstantiis, confitea-
tur, & ab ipso factum fuisse non dubitetur. *Peinliche Halsge-
richts Ordnung. art. 32.* Nec refert an reus eam postmodò re-
vocaverit vel confirmaverit, uti BOCERUS *val. c. 3. n. 25. de Qua-
sion.* Plerumq; hæc confessio magnam facit conjecturam in
criminibus nefandis & occultis. ZANGER. *c. 2. n. 42.*

Minæ jactatæ ab eo qui exsequi eas & potuit & consuevit,
& alias turpioris fuit vitæ. Deinde, ut, post parvi temporis
intervallum, damnum, reus quod minatus fuerat, evenerit. FA-
RIN. *qu. 50. P. H. B. Art. 25. vers. zum fünfften.*

Confessio Sociorum. Possunt quidem de se confessi in caput aliorum regulariter non torqueri, *l. 16. §. 1. D. de Quæst. l. ult. C. de accusat.* sæpè tamen in quibusdam criminibus interrogatio de complicibus habetur. Quæstio autem fit de sociis in crimine Latrocinii, *l. 10. C. de feriis & l. 6. D. de Custod. reor.* Falsæ monetæ; *l. 1. C. de falsa monet.* Maleficii, i. e. Sortilegii, *l. ult. C. de Malef. & aliis gravioribus, maximè verò occultis.* FARIN. *q. 13. ORDINATIO CRIMINALIS art. 31.* hæc observari debere jubet. 1. ut generaliter non specialiter reus de sociis interrogetur. §. *Zum ersten das dem Sager. & l. 1. §. 21. D. de Quæst.* alterum enim magis suggerentis quam requirentis videtur. 2. ut diligenter omnes explorentur circumstantiæ loci, temporis. His cognitis, an vera reus dixerit, judex haut difficulter deprehendet. §. *Zum andern/gebürt sich.* 3. ut nominatio socii non fiat odii causâ. Qui enim cum aliis inimicitias atq; contentiones habet, eos falsè prodidisse creditur. Inimicorum quæstioni fides haberi non debet, quia facilè mentiuntur. *l. 1. §. 24. D. de Quæst.* §. *Zum dritten/gebürt sich zuerkunden/* 4. ut nominatus sit deterioris fortis & famæ, & verisimile videatur ipsum hoc perpetrasse. §. *Zum vierdten/das die besagte Person.* 5. ut reus assertionem suam non revocet, sed in ea perseveret. §. *Zum fünfften/so sol der Sager.* Quæ de socio eadem de Mandatario intelligantur.

Fama frequens, à viris honestis & fide dignis, de homine abjectioris conditionis, orta. *art. 25. §. Erstlich P. N. D.* Sola etenim fama, sine aliis adminiculis, ad torturam non sufficit, nec etiam vehemens, BOCERUS *c. 3. n. 27. seqq*

Fuga præter causam justam vel probabilem, ab eo, qui liber à carceribus & accusationibus degit, suscepta. Præparatio pariter ad fugam, ut & latitatio, præsumtionem faciunt. Qui carcere verò aufugit, modò alia præstò sint adminicula, torqueri itidem potest. *P. N. D. art. 25. vers. ult. & art. 27.* FARIN. *q. 48.*

Sermonis inconstantia & variatio; non levis tamen sed magna esse debet. Variatio præterea fieri debet circa qualitates & circumstantias essentielles delicti, puta circa tempus & locum.

locum. Requirit autem quædam indicia alia, ut tortura adhibeatur, FARIN. q. 52.

Animi Trepidatio, l. 10. §. 5. D. de Quest. nec ea tamen, aliis destituta induciis, tormenta afferre potest. Nam sæpè usu venit, ut innocentissimi magistratus conspectum adire timeant, multo igitur magis flagitiorum conscii. Idem de Vultus mutatione iudicium fit.

Taciturnitas judicialis; si nimirum reus de crimine interrogatus nihil respondeat, probabilis est præsumptio. Nam illud, qui tacet consentire videtur, non talem vim in criminalibus atque in civilibus causis habet. Extrajudicialis taciturnitas nullius est momenti, licet extrajudicialis confessio non leve sit indicium.

Inimicitia capitalis, vel lis omnium vel plurimorum bonorum, nisi reconciliatio intervenerit, & quidem longiusculè ante facinus editum: recens siquidem inimicitiam sopitâ, scintillulas quasdam reliquisse verisimile est. Accedere verò alia oportet signa maleficii admitti. FARIN. q. 49. P. N. D. art. 25. §. Sum suffren.

Pactum vel transactio de crimine non capitali, interveniente precio, l. 4. §. 5. l. 5. l. 6. §. 3. D. de his qui in not. inf. Secus est si gratis fiat, l. 6. §. 3. D. l. 18. C. eod. aut crimen sit capitale. l. 18. C. de Pact. l. 1. D. de bonis eorum qui ante sentent. In iis enim criminibus, quæ pœnam mortis continent, precio pacisci licet. Hoc autem favore vitæ introductum est, ut redimens sanguinem suum, pro convicto non habeatur: sicut evincit BOCERUS l. 3. n. 58. de Quest. ex l. 1. D. de bon. eor. qui ante sentent.

Deprehensio in loco delicti. Si scilicet quis in domo, aut non procul illâ, post peractum maleficium, deprehendatur. Præcipuè si locus, ubi inventus reus, fuerit propinquus & contiguus, non æquè si remotus. FARIN. q. 52. num. 133. P. N. D. 25. §. Sum anderu.

Conversatio quotidiana cum improbis hominibus. Nam bonæ vitæ vel frugi non videtur, qui malè conversatur. l. 3. §. 3. D. de admin. tut. Idq; maximè cum nihil prætendi possit, cur
ejus

ejusmodi homines amicos habere studeamus, *P. N. D. Art. 25.*
S. Zum vierdten.

Postulatio ultronea. Si videlicet aliquis instanter inquisitionem in autorem criminis fieri petat, cum ejus nihil intersit. Qui autem, in ædibus suis vel agris scelus aliquod commissum fuisse, homicidium fortasse, magistratui denunciat, utq; in autorem peruestigetur postulat, neutiquam suspectus redditur, *FARIN. q. 52. n. 93.*

Receptatio facinorosorum scienter & voluntariè facta, *P. N. D. Art. 40.* So einer die Thäter wissenschaftlich und gefährlicher Weise ähet oder träncket/ ist eine bezeugung peinlich zufragen. quod ipsum & in caupone locum habet. Cognatione verò & amicitia conjunctos in hoc casu recipi posse, vulgò traditur. *ZAN-
KER. c. 2. n. 131. de Quest.* Huic simile est, Auxilium fugæ, *Dd. Af-
sociatio, ex intervallo præstitum.* Prædicta firmat quoq; *l. 2.
D. de Receptat.*

Permissio criminis, si nempe sine vitæ discrimine aliquis maleficium impedire potuit, nec prohibuit, *l. 50. D. de reg. jur.* Mandasse quoniam videtur, qui interest facto, nec committentes dehortatur. Non sola scientia de commisso delicto eundem parit effectum, imprimis Sacerdos, quæ ex confessione novit, revelare non tenetur, *FARIN. q. 51.*

Secreta allocutio facta ei, qui posthac crimen exsequutus est; nam jusfisse putatur, qui clam alloquutus est delinquentem. Urget acrius, quando inimico alloquentis nocitum fuerit.

Vicinia. Ædium enim inhabitatores, in quibus ipsis, vel propè eas, flagitium admissum est, in dubio istius autores præsumuntur. Frequentatio loci contra frequentantem facit similiter judicium. *P. N. D. Art. 52.*

Armorum & instrumentorum ad delinquendum necessariorum comparatio, sed, ut, post parvi temporis spatium, delictum fuerit perpetratum, etiam necesse est.

XIX.

Hæc primaria generalia sunt indicia, nec omnia verò ejusdem roboris atq; momenti. Quædam sola, quædam aliis
adjun-

adjuncta ad torturam sufficiunt. ORDINATIO quoq; CRIMINALIS Art. 25. § 27. quædam recenset cum aliis jungenda. Enumerantur quidem præter relata haut pauca, mali Nominis, Physiognomiæ, Nationis. Progeniei, incantatorum divinationis, & ejusmodi: pro verisimilibus tamen indiciis, nequaquam accipiuntur. Nec sortes, quarum usus pristinis temporibus in occultis delictis usus fuit maximus, hodiè probantur. Porro ad indicia specialia, sive singulis quibusdam maleficiis propria, procedendum est. Eoq; enumerabuntur ordine, quem suggestit CAROL. V. IN ORD. CRIM. ab Art. 33. usq; ad 44.

XX.

Homicidii clandestini argumenta sunt: si accusatus fugiens visus fuerit è loco delicti exire, gladium & vestimentum cruore aspersum gerens. Art. 33. P. S. D. Ensis verò sanguine quando non est pollutus, sive juxta cadaver occisi, sive alibi reperiatur, nullam justam præsumtionem affert. Deinde cum reus occisi res abstulerit, vendiderit, donaverit, vel penes se retinuerit, legitimum subministrat indicium. dict. art. 33. Huc referri autem nequaquam, ut verisimilis conjectura, potest, offensi ante suum obitum edita confessio, aliæ subesse debent, ut videre est ex Art. 25. §. Zum sechsten. P. S. D. Nullus enim idoneus testis in re sua intelligitur, l. 10. D. § l. 10. C. de Testib. Et notanter posita sunt in Art. 25. hæc verba, aus redlichen Ursachen der Missethat ziehet. Excusatio quidem offensi pro reo facta aliquid prodest, & indicia probabilia, non item urgentissima, infringit. FARIN. q. 46. Profluxio sanguinis ex cadavere interempto, præsentem reo, parum etiam indicii facit. Multæ enim causæ redduntur, cur facilè sanguinolentus liquor erumpat. Imò interdum, accedentibus propinquis & amicis, exangue corpus sanguinem effundere observatum est. Ex adverso, adventante occisore, haut rarò nil hujusmodi evenit.

Homicidii in rixâ vel turbâ facti indicia hæc ponit. P. S. D. Art. 34. si reus cum interfecto rixatus fuerit, arreptoq; telo in eum irruerit. Auget conjecturam telum, post commissam cædem, sanguine madefactum cum deprehendatur. Contentio- nis enim author & necis existimatur.

C

tionis

tionis quando ignoratur, nec arma sanguinolenta sunt; ille habetur qui naturam ad rixandum proclivis est, in primis à necato injuriis lacesitus. Nec à tormentis liberat objecta necessaria defensio, nisi ea interveniant, quæ exigit CAROL. V. in P. N. D. Art. 143. ZANGER. c. 2. num. 152. & seqq.

Infanticidii à matre commissi, quæ virginem se venditabat, P. N. D. Art. 35. Von heimlichen Kindhaben / und tödten durch ihre Mütter. hæc signa tradit; si venter præter morem tumidus visus fuerit, deinde subito ille tumor evanuerit, præter eam post id pallida, & minus valida sit mater credita. His repertis foemina accusata, si alias non optimæ vitæ, à mulieribus probatæ artis inspicere debet. Obstetricibus enim, ut peritis in sua arte, multum datur fidei, uti cognosci potest ex l. 1. D. de inspic. ventr. Art. porro 36. dict. ord. sufficiens indicium constituit, lactis copia in mammillis si deprehendatur, licet de hac re obstetrices & Medici consuli debeant. Parum autem juvat mulierem, quamvis affirmet, se remotis obstetricibus partum edidisse mortuum: vel alio casu eum periisse. Minimè ejus confessioni creditur, præsertim quando antea se prægnantem esse dissimulaverit, aut infantem necatum occultaverit, ZANGER. c. 2. n. 165. seqq.

Veneficii. Veneni emptio vel præparatio. Inimicitia inter reum & extinctum. Spes lucri vel commodi alicujus ex morte necati. Sinistra apud homines de accusato suspicio, haut leve dant indicium insimulati facinoris. Verisimiliter autem si reus docuerit, venenum liciti usus gratiam se confecisse, dimitti debet. Reus quoque negans coram magistratu, toxicum quod emerit vel habuerit, mox convictus mendacii, ansam præbet quærendi, in quemnam usum illud convertere destinaverit. Art. 37. von heimlichen Vergeben. Duo etenim hic concurrunt, veneni comparatio, res quæ valde suspecta, & mendacium, quo fallere magistratum conatus est reus.

Latrocinii. Rei raptæ inventio apud aliquem. Idem de eo dicatur, qui vendidit, donavit, vel alio modo alienavit rapta bona, nec authorem suum nominare vult: præsumitur enim illa non honestè atque justâ fide acquisita esse. Art. 38. P. N. D. Von

Vom Verdacht der Räuber. Empta verò fuisse in tabernâ publicâ, ubi communiter ejusmodi veneunt, repertiantur licet apud aliquem, qui probat, excusatur, *arg. l. 3. pr. §. 1. 2. D. ad SC. Maced. ZANGER. c. 2. n. 176.* Equites peditesve quotidiè in cauponis largiter comessantes, quiq; unde sumptus impensasq; habeant, significare nequeunt, latrocinii suspectos credere fas est. *Art. 39. P. N. D.*

Furti. De Latrocinio memorata etiam furto accommodanda sunt. Rem enim furto ablatam qui detinet, in furti suspicionem incidit. *l. 2. C. de Furt.* nec à transeunte & ignoto se emisse, dicere convenit, volenti evitare alienam bono viro suspicionem. *l. 5. eod.* nisi satis probaverit. Adulterinas claves, & ejusmodi instrumenta seris aperiendis idonea, qui secum portat, vel domi habet, *Dietrich/ Sperr- oder Brechzeuge/* delicti expers non videtur. Qui tenuis est fortunæ & pauper, atque post commissum luculentum aliquod furtum, repentiè locuples fit, quique rationes auctæ rei familiaris reddere non potest, innocens omnino haberi nequit, *Art. 43. P. N. D. Von gnugsamen Verdacht der Dieberey.* Firmat præsumtionem expansio pecuniæ ejusdem figuræ, quæ fuit furto subtractæ. Qui sub vestimento fuit visus aliquid gestare, ex domo expilata veniens, sive nocte sive die, furti reus putatur; ut & ille, cujus scalæ illis ædibus appositæ reperiuntur, in quibus furtum est peractum. Custodes, maximè si vilioris conditionis, ut & illi qui peregrè pecuniam ferre debent, per loco invia euntes, si dicant ereptam sibi esse rem commissam, furti reos se faciunt. Adjuncta tamen quando aliqua fuerint indicia *BOCER. c. 3. de Question.*

Opis furibus sive raptoribus collatæ argumenta vult esse *P. N. D. Art. 40. Vom verdacht derjenigen so Räubern oder Dieben geholffen.* Receptio notiorum delinquentium, sustentatio, occultatio. Qui sit particeps rerum furtivarum. Qui fures atque latrones, carceribus effractis aufugientes, dolosè suscipiat, celetque. Qui transigat cum eo cui fraus data: vel fidem ipsius nomine interponat: nec ulla causa reperiatur,

quæ hoc officium eliciat; cum delinquens nec sanguine, nec a-
lio conjunctus modo esse videatur.

Incendii. Qui brevi ante exortum incendium, occultè,
& dolosè ejusmodi conficit faces telaque, quibus ad exurendas
ædes opus est. Haut enim optima sanè molitur, qui clam ta-
lia apud se asservat. Adhæc si reus flagitiosæ sit vitæ, & cui usui
inventæ adhibere voluerit, docere satis nequeat. *P. N. D. Art.*
41. Von heimlichen Brand.

Proditionis. Qui clam & præter morem iis se junxit,
quos prodidisse conjicitur: nihilo tamen secius, eos graviter
ipsi iratos atque effensos esse, præ se ferat, ob idque sibi ab istis
sedulò cavendum. Facilius hoc præsumitur, cum aliàs hu-
jus accusatus criminis, ad quodvis scelus audendum pronus sit.
P. N. D. Art. 42. Von Verrätherey.

Sortilegii notas has constiuit CAROL. V. *P. N. D. Art. 44.*
Von Zauberey. Si aliquis magicam artem alios docere conatur;
si quis minatus fuerit alicui malum quoddam, idque evenerit.
Assidua cum maleficis conversatio; gestus insoliti, verbaque
ignota, etiam multum præsumunt; imprimis reus si aliàs hoc
maleficio infamatus sit. *d. art. 44.* Non eandem vim habent
probatio per aquam, quando nempe reus, manibus pedibus-
que colligatis, vel pollice manus dextræ magno digito sinistri
pedis, & pollice manus sinistrae digito magno dextri pedis,
transversè funibus adstrictis, supinus injicitur in flumen, qui
supernatans nocens judicatur. Nec maculæ in corpore in-
ventæ, nec geminæ pupillæ, nec supercilia conjuncta, pro justis
æstimari possunt indiciis. His jungerè licet saltum cribri, *das*
Sieb lauffen / & alia hujusmodi.

Adulterii. Mas & foemina in eodem lecto nudi recu-
bantes, vel in remotis locis mutuò se amplectentes, (licet san-
guine conjuncti; *c. 12. de Præsumpt.* palàm autem hæc agentes,
excusatione digni sunt. *l. 19. C. de Episc. & Cler. l. 34. C. ad L. Jul.*
de Adult.) urgens præbent argumentum criminis objecti; nisi
ætas,

etas, vel morbus, vel naturalis aliaque imbecillitas, hoc refelle-
re videantur. Confabulatio & inosculatio clandestina crimen
confitetur. *Can. nec ab aliqua 27. q. 1.* Quod magis est, & Clericus
hoc committens suspectus fit. Licet enim de ministris Dei nihil
sinistrum arbitrari nos oporteat. *Can. absit 11. quest. 3.* & Clericus
amplexans mulierem, præsumatur velle ei benedicere, *Glossa
b. l.* istud quum de iis actibus, qui in bonam & malam accipi
partem possunt, dicta intelligantur, non de prohibitis. Nam
Clericus mulierum domicilia solus intrare, *Can. Clericus*, nec
loqui cum eis debet, ut excludatur omnis nefanda suspicio,
Can. in omnibus, & *Can. seq.* & passim. *Dist. 81.* Nec honesta de
uxore conjiciuntur, ignorante vel nolente marito, extraneo-
rum virorum consortia quæ appetit, *arg. l. 18. §. 3. C. de Repudiis*,
vel commune lavacrum cum viris habere audeat. *§. 3. d. l. vel ju-
venes ejus ostium frequentantes in ædes intromittit, & occul-
tat.* Litteræ amatorix verò, quamvis mittentem in suspicio-
nem quandam ducant, accipientem tamen nihil arguant.
Nec indicat hodie quicquam potatio aquæ falsæ, five noceat
five profit: Nec ferri candentis gestatio in manibus; hæc
quandoquidem omnia illegitima censeantur indicia. Hæc-
tenus de Adulterii signis enarrata, stupro, ut & nefandæ libidi-
ni, Sodomix scilicet, accommodare fas est.

XXI.

Exposita sunt præcipua indicia, omnia quoniam consi-
gnare non est possibile, *Art. 18. 24. P. N. D.* hucusque memo-
rata sufficiant. De reliquis enim iudex arbitrabitur; Consul-
tius etsi agat Jurisperitos consulens, quænam ipsi indicia ad tor-
turam idonea reputent; quod & in plerisque judiciis fieri cer-
nimus. Indicium verò & unicum, probabile sc. & verisimile, ad
habendam quæstionem satis est, *Art. 29. P. N. D.* sed levia & im-
perfecta aliquot concurrere oportet, *l. 1. §. 1. 4. l. 18. §. 1. D. de Quest.*
Cùm haut rarum sit, ut plura imperfecta unum constituât per-
fectum, uti patet ex *l. 5. 6. 7. C. de Probat.* IMPERATOR quoq; CARO-
LUS in *Art. 25. 26. 27. 28. P. N. D.* quasdam enumerat conjecturas,
perpetuò cum aliis conjungi quæ debent. Regula itidem vulga-

ris ista, quod in criminibus imperfectæ probationes conjungi minimè possint, de probationibus ad condemnationem, non ad quæstionem decernendam, loquitur. Eâdem ratione omnes leges, quæ probationes copulari prohibent, intelligendæ sunt, BOCERUS c.3. n.125 seqq. de Quæstion.

XXII.

Porro probantur Indicia, & quidem Propinqua, per unicum testem integræ opinionis, Art.23. P.D.D. Wie die gnußsam Anzeigung einer Missethat bewiesen werden sol. & Art.30. Remota per duos testes. dict. Artic. Testimonium tamen reddere nequeunt; Minores 20. annis, l.20. D. de Testib. Nec ex l.3. §.5. d. tit. adversum quid concludendum est, quasi impuberes soli à ferendo in criminibus testimonio repellantur; unius quàm, juxta communem canonem, inclusio non statim alterius sit exclusio. Mulieres, & quidem Jure Canon. nunquam testes esse possunt. Can. mulierem 33. qu. 5. c. 10. in fin. de V.S. Jure Civili, si publico damnatæ judicio. l.18. D. de Testib. In crimine autem Majestatis dictæ personæ rectè testantur, l.10. D. de Quæstion. l. 8. D. ad Leg. Jul. Maj. Præterea rejiciuntur Inimici, l.1. §.24. D. de Quæstion. Servi, de quibus quæstio contra dominos haberi non oportet, exceptis adulterii criminibus, item fraudati census accusationibus, & crimine majestatis, quod ad salutem principis pertinet. l.1. C. de Quæstion. Pauperes, quia accusare nequeunt, l.10. D. eod. quod plus est quam testari, FARINAC lib.1. tit. 5. qu. 31. de Tortura. & Tit.6. quæst. 57. de Testib. & seqq. ubi alii enumerantur, quibus in hisce casibus non est testimoni dictio. Singulares denique per testes probatio fit, quando nempe hic de uno modò, ille itidem sed de alio, alius etiam de certo quodam indicio attestatur. Necessè autem est, ut unus illorum delicto ipse interfuerit, idque suis intuitus fuerit oculis.

XXIII.

Indicia inventa Reo communicari debent, testesque etiam in ejus conspectum produci, l.19. C. de Testib. quem actum Confrontationem dicunt; licet de crimine Majestatis, vel veneficii quærat, PETR. THEODOR. Colleg. Crim. disp. 9. th. 11. lit. C. Quod eum in finem sancitum est, ut ad ea respondeat, vel si possit, elidat,

elidat, suamq; innocentiam tum per se, — p. — os, deducat.
l. 5. pr. l. 19. D. de Pœn. c. 24. §. debet igitur, de Accusat. Quamvis
autem accusatus indiciorum copiam non petat, nihilominus ju-
dex exhibere cogitur; in hoc quum negotio cesset, quod vul-
gò valet, judicem non impertiri officium suum nisi postuletur
l. 4. §. 8. D. de damno infect. in iis enim quæ ad publicum jus, &
crimina pertinent, item causas miserabilium personarum, *l. 49.*
§. 3. C. de Episc. & Cler. contra est. DION. GOTHOF. *ad d. l. 4 §. 8. D.*
de damn. inf. Subdit hanc rationem *P. H. D. art. 47.* quod ple-
rique aut propter imperitiam simplicitatemque, aut mentis tur-
bationem rectè se defendere nequeant, *l. 1. §. ult. D. de Question.*
& humana fragilitas morbis cogitatione perturbetur, *l. 8 C.*
Qui testam. fac. poss. Hinc nec obest ignorantia juris indicia
negligentibus poscere, licet alias jus ignorantibus non succur-
ratur, *l. 8. 9. D. de jur. & fact. ignor.* Reus verò ejusque cognati, si
ob impensarum magnitudinem, defensionis requisita habere
non possunt, judex debet propriis sumptibus de ejus innocen-
tia quærere. *l. 19. D. de Pœn. Art. 47. P. H. D. vers. Wo aber der*
Verflage.

XXIV.

Accusato vicissim licitum est quocunque tempore, & in
qualibet judicii parte, indicia refellere, & defensionibus suis
uti, *l. 18. §. 9. D. de Question.* Nulli enim defensiones denegan-
tur, nec Diabolo si esset in judicio, uti *Dd.* loquuntur. Imò,
etiamsi reus cunctis renunciaverit defensionibus, eas tamen,
quando voluerit, usurpare potest, imprimis quæ sunt juris na-
turalis vel gentium, *FARIN. qv. 39. de Tort.* Innocentia verò de-
monstratur vel per contrarias præsumptiones, vel Juramentum.
Præsumptiones innocentia inservientes sunt, si reus tempore e-
diti facinoris alibi versatus fuerit. *Art. 47. P. H. D.* Si reus au-
fugere potuerit, sed ne pedem quidem loco moverit: si spon-
te se in judicio stiterit; & plures à *Dd.* traditæ. Interea notetur
excusationem rei ab læso factam, haut parùm pro accusato face-
re, *l. 2. D. ad SC. Silan.* Hæ verò præsumptiones, etiam in nefan-
dis delictis, quibusvis testibus probantur: nam cognati transver-
si ordinis, domestici, familiares, & qui aliàs minùs idonei existi-
man-

mantur, hęc admittuntur; Faciliores quàm ad absolvendum,
quàm condemnandum esse nos deceat, *l. 5. D. de Pœn. l. 47. D. de
Oblig. & Act. & testes inhabiles, si veritas alio cognosci neque-
at modo, adhibeantur, GAIL. lib. 1. Obs. 102. n. 9. Juramento quo-
que indicia infirmantur l. 16. §. 4. D. de his qui notant. inf. l. 18. C.
eod. non quævis, sed leviora duntaxat, nisi præsumtio juris con-
tra allegantem innocentiam militet, vel sit homo improbatæ
& sceleratæ vitæ. GAIL. lib. 2. obs. 48. n. 30. 31. 32. & obs. 106. n. 5. tunc
juramento non statuitur, neq; facile conceditur illud.*

XXV.

Reo verò indicia non diluente, judici incumbit senten-
tiam de inferendis tormentis ferre, quæ quidem est interlocu-
toria; nam primaria quæstio, an condemnatio vel absolutio
sequi debeat, non decernitur, *l. 3. C. de sentent. & interloc. &
ab eâ appellari potest, l. 2. D. de Appell. recip.* quia reo damnum
irreparabile dat. Factâ provocatione, iudex à quo appella-
tum est, nihil agere potest, sed superioris jussu expectare de-
bet. Cum autem liquidò constat, nullam justam provocan-
di causam adesse, decretum rectè expeditur. Legibus quan-
quam præsentibus Imperialibus, in criminalibus omnis prohi-
bita sit provocatio, etiamsi à definitiva fuerit, à qua facilior,
quam ab interlocutoria, provocatio, *l. 5. vers. ult. C. quor. Appel-
lat. non recip.* Duo tamen in illius locum substituta sunt reme-
dia: Nullitatis, quod non ordine debito in iudicio actum, &
Injustitiæ, quod non æquè lata fuerit sententia. *Kays. Kam-
mer Gerichts Ordnung. part. 2. tit. 28. §. Item nachdem.* Addu-
cta licet Constitutio in Germania vigere, ex cit. loco, videatur,
sciendum tamen est, solùm ad Cameram, cui ejusmodi pro-
vocationes non fiunt, hoc referendum esse. Nam ubique in no-
stro Imperio, etiam in Saxonice terris, hæ admittuntur appel-
lationes; & à jure Civili non receditur, quod tam reo, *l. 2. C.
quor. App. non recip.* quàm aliis, sive sint necessarii nec ne, resi-
stente quoq; reo, provocare permittit, *l. 6. D. de Appellat.* DANI-
EL MOLLER. *lib. 4. Semestr. c. 33. 34* Quod tamen explicant de Pro-
cessu Ordinario, non facile Inquisitorio, cum semper defensio
sit licita, & nunquam sententia in rem judicatam transeat.

XXVI.

Nunc ipsum torquendi modum tradere nos decet. Quæstio institui debet coram Judicii Præfecto, & duobus Assessori-
bus, atque Actuario, accuratè qui rei confessionem consignet. *P. N. D. art. 47. §. So in der ley gemelbeten. & actori ea*, quæ
scitu ipsi necessaria, communicet. Antequam verò tortura
suscipiatur, torquendus serio à memoratis personis, etiam tor-
turæ comminatione, de crimine ejusque causa, interrogari ju-
betur. *P. N. D. Art. 46.* Priscis Romanorum seculis Domini ipsi
de servis quæstionem habuerunt, *l. 6. §. 3. D. ad SC. Silan.* Sedulo
deinde cavendum est, ut de eo solùm crimine quærat, illius-
que circumstantiis, cujus legitima existunt indicia, non de re
quavis, id enim suggestio esset, *l. 1. §. 21. D. de Quæstion. P. N. D. B.*
Art. 56. non de aliis criminibus, nisi affinia fuerint; aut reus,
dum quæstio habetur, amplius dixerit: rei enim fuerit indici-
um non interrogatoris culpa, *l. 1. §. 22. dict. tit. P. N. D. Art. 46.*
Pluribus verò tormenta cum adhibenda sunt, à suspectissimo
incipiendum, & à quo facillimè posse verum scire judex credi-
derit, Divus Hadrianus rescripsit, *l. 1. §. 2. D. de Quæstion.* vel qui
timidior est, vel teneræ ætatis videtur, ut Paulus Jctus suadet,
l. 18 pr. eod. Liberi igitur prius quam parentes cruciatibus subji-
ciantur, cum pro affectu parentes magis in liberis terreantur,
l. 8. §. 3. D. quod met. caus. fœminæ quam masculi, propter sexus
infirmi-
tatem; uxor quam maritus, & cui turpe impositum
est nomen, ceu tradunt Juris interpretes. Postremò monendi
sunt criminum cognitores, ne diebus cultui divino consecratis,
de ullo quæstionem sumant, nisi sit latro *l. 10. C. de Feriis.* reus
majestatis, veneficus, maleficus, adulter, violator monetæ, ho-
micida, parricida, *l. 3. C. de Episc. audient.*

XXVI,

His diligenter observatis, tormenta applicanda judex cu-
rabit, non horribilia vel insolita, *l. un. C. de Emend. serv. l. 2. C. de*
Exact. tribut. ideoq; nisi de atrocissimis delictis agatur, hæc ad-
di solet in sententiis interlocutoriis clausula, *das der Gefange-*
ne mit scharffer Frage / iedoch ziemlicher massen / menschlicher wei-
se anzugreifen / nec quanta accusator postulat, sed ut moderatæ

D

ratio-

rationis t
enta desiderant, *l. 10. §. 3. D. de Quæstion.* Nam
quæstionis modum magis est, iudices arbitrari oportere: Itaq;
quæstionem habere oportet, ut servus salvus sit vel innocen-
tiæ, vel supplicio. *l. 7. b. t.* & alii ob duritiam tormentorum sive
patientiam gravius, alii ob impatientiam levius cruciandi sunt,
l. 1. §. 23. eod. CAROLUS IMPERATOR itidem constituit, pro indi-
ciorum ratione torturam decerni à iudice debere. *P. H. D.*
Art. 58. Siq; fortasse reus ulceribus vel vulneribus affectus fue-
rit, in *Art. 59. P. H. D.* provisum est, ut eo modo strictior fiat in-
quisitio, ne laborantibus corporis membris damnum detur.
Præterea Jurisconsulti præcipiunt, interjecto aliquot horarum
post captos cibos intervallo, tormenta demùm injicienda esse:
causam hanc reddunt, ne ciborum digestio impediatur. *FARIN.*
qu. 38. n. 32.

XXVII.

Varia tormentorum genera excogitata sunt; in nostris au-
tem Juris Civilis libris, duorum imprimis mentio fit, Equulei,
l. 7. C. de Malef. & Mathem. atq; Fidicularum, *l. 4. C. ad Leg. Jul.*
Majest. l. 16. C. de Quæst. at qualia instrumenta fuerint, non exa-
ctè constat. Hodiè funicularum usus maximus est, & com-
munissimus. Vigiliarum cruciatus, cujus inventor Hyppoli-
tus de Marsiliis creditur, magnæ quoque efficaciam esse prædica-
tur. Quod si nefandum explorandum fuerit crimen, & cer-
tissima habeantur signa, carnifices ferreas compedes reo indu-
unt; interdum sulphuratas stuppas accensas in illius cutem ja-
ciunt, quod acrem & immensum dolorem excitare solere,
multi reipsâ experti retulerunt. Qui accuratius tormento-
rum genera nosse cupiet, tortores consulat, quibus ista satis
cognita. Torturæ præterea, (quod hîc significare haud in-
congruè licet,) multi finguntur gradus, illis tamen territio pro-
priè non annumeratur, ceu patet ex thes. 5., nam honesto con-
stituti loco terreri jussi, à carnifice tangi nequeunt.

XXVIII.

Confessio rei fieri & consignari debet finito torturæ actu,
P. H. D. art. 59. und sol die Sage des Gefragten nicht angenom-
men/ oder aufgeschrieben werden / so er in der Marter thut / son-
deris

deru sol seine Sage thun/ so er von der Marter a. . . . Requiritur tamen ut iterum hæc confessio edatur post aliquod dies, secundum arbitrium Judicis extra torturæ locum, *l. 2. C. de Custod. reor. P. H. D. Art. 56. §. Der Gefangene sol auch.* Si reus priorem revocaverit confessionem, indicia verò adsint, rursus carceribus includi, ac torturæ supponi debet: nisi causam exposuerit, eamq; probaverit, quæ eum in illum errorem duxerit. *Art. 57. P. H. D.* Reus autem veris hujus erroris causis destitutus, denuò fidiculas patitur, variationis atque vacillationis gratiâ, *l. 10. pr. §. 5. l. 15. pr. D. de Question.* Qui, iterum crimen confitens, mox illud negans, tertio tormenta subire cogitur. Hac vice tamen confessionem prolatam quando revocaverit, ulterius non torquetur. Reus quoque principio negans, postea in quæstionem repeti nequit, nisi nova indicia superveniant, *l. 18. §. 1. dict. tit.* à prioribus diversa, nec leviora. Plus licet tribus vicibus torqueri reus non possit, quamvis Judicis arbitrio hæc omnia relinquat, *P. H. D. Art. 58.*

XXIX.

Reo nihil divulgare volente, accusatori crimen inîmulum probare conceditur. *Art. 62. P. H. D.* quibus verò testibus, *ex Art. 63. 64. & seqq. P. H. D.* discimus. Delictum quando non probatur, accusatus liberatur. Hoc vitare omnino debent Judices, ne prohibitis in extorquenda veritate mediis utantur. Sæpius cum malefici magicis efficiant artibus, ut nullum ex tortura dolorem percipiant, exadversum eam contemnant, latoq; sint animo vultuq;. Observare quidem possunt, an tortus ea secum habeat, quæ doloris sensum adimunt. Nam frequenter schedulæ mirificis notatæ literis, vel aliæ ejusmodi res, capillis vel aliis corporis locis tectæ, deprehenduntur, ut testantur qui de tortura peragenda ex professo scripserunt. Sedulo igitur in talia pervestigare jubetur; etsi ea religiosus judex contra istis utentes, adhibere non debeat.

XXX.

Deniq; anxie & sollicitè perpendat, an verifimilia tortus protulerit, quod ex circumstantiis exactè quæsitis facile patebit, *P. H. D. Art. 48. & seqq.* In civilibus quidem causis confessus

fellus pro iudicio habetur, *l. 3. l. 6. §. 6. pr. D. de Confess.* attamen non æquè in criminalibus confessiones reorum pro exploratis facinoribus haberi oportere, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat, DIVUS SEVERUS rescripsit, *l. §. 17. D. de Quaestio.* nam quidam tantâ sunt impatientiâ, ut quodvis mentiri, quam tormenta pati velint. Ita fit, ut etiam vario modo fateantur; ut non tantùm se, verum etiam alias crimentur, *§. 23. dict. leg.* sed causâ cognitâ habenda fides aut denegandâ, *§. 25.* nonnunquam enim aut metu, aut qua aliâ de causâ, in se contententur, *§. 27.* Itaque reus homicidium confitens interrogetur, quâ impulsus causâ, quo die & horâ, ob quem finem, cuius ope facinus designaverit; ubi interfectum exposuerit; quibus armis cædes facta, quæ vulnera inflictâ fuerint; quæ apud cæsum invenerit, quoque pertulerit. *Art. 48. P. N. D.* Porro reus proditionem falsus, quis eum subornaverit, quid istius ergò acceperit, quonam loco, quo modo, & quando & quamobrem scelus perpetraverit. *Art. 49.* Veneficii convictus significet, qua ratione venena præbuerit, unde habuerit, quisnam ipsi miserit. *Art. 50.* Incendium qui fecit, recenseat socios, instrumenta, tempus, *Art. 51.* Magiæ exercitor, quibus verbis aut factis maleficium perfecit; à quo institutus in hac arte fuerit, & quibus nocuerit. *Art. 52.*

XXXI.

Percontari idcirco summo studio circumstantias Iudex debet, easque literis mandari jubebit, *Art. 53. 54.* de istis vero non specialiter interrogabit, sed generaliter, alterum enim magis suggerentis, quam requirentis videtur, *l. 1. §. 21. D. de Quaestio.* *Art. 56. P. N. D. Keinem Gefangenen die Umstände der Missethat vorzusagen/ sondern ihn die ganz von sich selbst sagen lassen.* Ut igitur certior fiat de omnibus, vel ipse, vel per alios loca à reo allegata, in quibus factum commissum esse pronunciavit, perlustrabit: quum vera dicta inveniuntur, nocens judicabitur, *Art. 54.* sin falsa, graviter culpandus, & iterum torture tradendus erit, ut veras indicet circumstantias: Siquidem quandoque fontes eò circumstantias studiosè falsò enumerant, quod innocentes haberi velint, si aliter res, quàm ipsi affirmaverint, repe-

reperiatur, art. 55. P. H. D. Wo die ewandte
Misserhat in Erkundigung nicht wahr erfunden werden. Con-
fessione verò cum re ipsa conveniente, fides ipsi facienda erit, art.
60. P. H. D. Wan der W. k. äumtisi so auf peinlicher Frage geschie-
het/endlich zuglauben ist. BOGER. c. 5. de *Question.*

XXXII.

Finis Quæstionis est Veritatis cognitio, ad eam enim eru-
endam instituitur. l. 15. §. 41. D. de *Injur.* constitutionibus etiam
Principum est permissum, ad illuminandam veritatem per tor-
menta interrogari, velut Imperatores Dioclet. & Maximian. re-
scripserunt, l. 10. de *Question.* Neutiquam verò quemquam tor-
mentis necari oportet, l. 8. §. 3. de *Pæn.* & quæstionis habendæ
causâ neminem esse damnandum, Divus Hadrianus rescripsit,
quemadmodum Paulus J. C. tus testatur, l. 21. D. de *Question.* Pa-
lam inde fit, si aliter de crimine constet, quæstionibus non opus
esse, cum habito fine, cessent mediæ: Nec, si aliis probationi-
bus veritas illuminari possit, cum tormentis interrogetur, l. 12.
C. de *Question.* Quo fit ut non torqueatur is qui convictus est
de crimine, quod patet ex leg. 16. C. de *pæn.* Nam in subsidium
quæstio inventa est, penuriâ plenæ probationis, quâ proinde
plenâ stante, non opus est subsidio quæstionis. l. 8. & 9. D. de
Question. Attamen apud multos receptum est, convictum tor-
turæ subicere, ad plenissimam probationem, ut ipse crimen fa-
teatur, quam consuetudinem probat, COVARR. *pract. quest. c. 13.*
num. 5.

XXXIII.

Torturæ Effectus ultimò jam explicandus venit, qui vel
in Absolutione torti vel condemnatione, tum & pœnâ judicis,
minus legitimè torturam qui reo intendendam curavit. Abso-
lutio sequitur, quod nempe reus nullis tormentis adigi, ut cri-
men confiteatur, vel aliis modis convinci potest, art. 62. P. H. D.
Dimittitur ergò carceribus, l. 6. ult. D. de *Calumniat.* art. 62. P.
H. D. atq; à toto absolvitur judicio, definitivè quidem, l. 74. D.
de *judic.* art. 61. P. H. D. quæ absolutionem contineat, l. 3. C. de
Sent. & Interloc. omnium judic. Absolutus tamen denuò accusa-
ri potest & proinde torqueri, si accusatur ab alio ignorante ac-

se institutam ab alio, l. 7 de Accusat. vel crimi-
nis nova qualitas deducatur, l. 4. §. 3. D. de Nox. Actionib.
quæ alterat crimen, l. 21. & seq. D. de Except. rei jud. Si verò reus
valdè fuerit suspectus, satius erit ut iudex tardius absolutionem
decernat, sed alia expectet indicia uti Dd. suadent. Caveat
autem summo perere, ne diutius moram faciat, non ultra bien-
nium, quo criminales causas Justinianus l. 13. pr. C. de judic. con-
clufit, poenâque vicenarum librarum auri feriri iussit, l. 3. C. ut
intr. cert. temp. criminal. quest. terminat. Insuper quando reus
plenis etiam probationibus convictus, à Iudice, (qui tamen
contra legis prohibitionem facit, l. 8. 9. & l. 22. C. de Question.
Art. 69. P. N. D.) tormentis oneratur, si persistit in negando,
probationes illas satis removisse existimatur, & extraordinaria
solum poenâ afficitur; sin indicia modò existant, planè liber di-
mittendus erit, nisi ulterioris cognitionis gratiâ tormenta ad-
jiciantur. FARIN. quest. 40. Absolvitur etiam reus quum sæpius
crimen confessus fuerit, sed dolore se istud fecisse postea dix-
erit. Id. quest. 38. n. 92. seqq.

XXXIV.

Absolutus vinculis solvitur sub obligatione juratâ & elo-
gio de non vindicando carcere, vulgò geschworne Brpheed ap-
pellant, alii literas exultionis sive securitatis vocant, GAIL. l. obs.
22. n. 1. Das er die Gefängnis und Marter/ weder mit Worten /
noch Werken/ heimlich oder öffentlich / in keinerley Weise oder
Wege/ rächen wolle. Litis quoque impensas cum accusatore
compensabit accusatus, ex verisimilibus indiciis quando ca-
ptus & tortus fuit, nihil autem confiteri voluit. Art. 61. P. N. D.
Accusator enim proprias impensas in iudicio factas, accusatus
alimenta solvere tenetur. Reliquos sumptus, ut carnificis,
aliorumque judicialium ministrorum, ut & carceris, magistra-
tus suggeret.

XXXV.

Condemnatio fit si reus crimen confitetur, l. 16. C. de Pœn.
l. 2. C. quor. appellation. non recip. Art. 60. P. N. D. Poena verò
imponitur lege definita vel moribus recepta. Art. 104. P. N. D.
Sententia hæc interim literis consignari & recitari debet.

Art.

Art. 92. 93. 190. & quidem presentibus utrisq; partibus. *Art. 94.*
P. H. D. Jure itidem civili ordinatum est, ut sententia definiti-
va in libellum conferatur, scriptaque ex libello partibus le-
gatur, *l. 2. C. de Sentent. ex peric. recitand.* imò sancitum est præ-
terea, ut sententia quæ dicta fuerit, cum scripta non esset, nec
nomen quidem sententiæ habere mereatur, nec ad rescisio-
nem perperam decretorum, appellationis solennitas requira-
tur, *l. 3. eod.* Condemnato nihilominus quædam remedia con-
cessa sunt, ea scilicet quæ thes. 25. de interlocutoriâ habentur e-
numerata.

XXXVI.

Judex ex adverso injustè aliquem vel illegitimè tormen-
tis afficiens, tenetur ei ad sumtus & damna resarcienda, licet ju-
ramentum de non vindicando præstiterit (*Brphed*) *art. 20. P.*
H. D. promissio cum ista de vindictâ privatâ non publica intel-
ligatur, & ab ejusmodi juramento in Camera Spirensi absolvi
solent. *p. 2. tit. 24. Kammer Gerichts Ordnung.* Actione etiam
injuriarum conveniri potest, *l. 15. §. 34. 41. l. 32. D. de injur. l. 4. C.*
ad Leg. Jul. repetund. & utili Legis Aquiliæ, *l. 13. pr. ad Leg. Aquil.*
Interdum criminaliter, *art. 61. P. H. D.* dolosè si torturam sus-
ceperit, *l. 16. C. de Question.* morte imprimis inde eveniente, *C.*
de Emend. servor. Arbitrariè punitur, si culpa hoc fecit, *art. 61.*
P. H. D. Reo verò ex moderatâ torturâ mortem obeunte, Ju-
dex impunis est. Nam aliàs semper rectè tormenta adhibuisse
præsumitur.

Et hæc sufficiant. Curiosius cuncta exponi nec animus
fuit, nec licuit. Quem diligentius in hanc rem inquirere de-
lectat, Praxin Criminalem DN. CARPZOVII adeat, ubi largius at-
que accuratius ejusmodi inveniet conscripta. Potiora
ac summa haurire instituti ratio
jusfit.

F I N I S.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or a series of entries, though the specific words are not discernible due to fading and the texture of the paper.



05 A 1947

ULB Halle
003 785 246

3



1009





